PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. XI - N. 2

1979

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 2 DECEMBRI 1979

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Constitutio Apostolica *Sapientia christiana* 175

Allocutio ad Episcopos Statuum Foed. Americae Septemtrionalis 218

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

Pont. Commissio Decretis Concilii Vaticani II interpretandis

Responsa ad proposita dubia 241

Responsa ad proposita dubia 242

ACTA COMMISSIONIS

Opera Consultorum in recognoscendis schematibus canonum

I. Coetus studiorum de Processibus 243

II. Coetus studiorum de Institutis vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum 296

DOCUMENTA

De morbis psychicis quoad matrimonialem consensum (P. Card. Felici) . . . 347

NOTITIAE 351

Acta Commissionis

OPERA CONSULTORUM IN RECOGNOSCENDIS SCHEMATIBUS

I

COETUS STUDIORUM DE PROCESSIBUS

Praeside Card. Pericle Felici et moderante Exc.mo R.I. Castillo Lara, Secretario Commissionis, Relatore Exc.mo A. Sabattani, Coetus specialis « De Processibus » Sessiones habuit diebus 26-31 martii 1979 et 14-18 mai 1979, in quibus prosecutus est laborem ad examinandas animadversiones quae ab organis consultationis prolatae sunt circa Schema canonum de iure processuali (cf. *Communicationes* 10 [1978], pp. 209-272; 11 [1979], pp. 67-162).

SESSIO VI

(diebus 26-31 martii 1979 habita)

Adunatio diei 26 martii 1979

Can. 310 (CIC 1917)

§ 1. Sententia quae transiit in rem iudicatam, exsecutioni mandari potest.

§ 2. Iudex qui sententiam tulit, et, si appellatio proposita sit, etiam iudex appellationis, sententiae, quae nondum transierit in rem iudicatam, provisoriam exsecutionem iubere potest ex officio vel ad instantiam partis, idoneis, si casus ferat, praestitis cautionibus:

1) si agatur de provisionibus seu praestationibus ad necessariam sustentationem ordinatis;

2) si alia iusta urgeat causa.

§ 3. Si tamen sententia, de qua in § 2, n. 1 vel 2, impugnatur, iudex qui de impugnatione cognoscere debet, si videt hanc probabiliter fundatam esse et irreparabile damnum ex exsecutione oriri posse, potest vel exsecutionem ipsam suspendere vel eam cautioni subicere, salvo praescripto can. 302.

— Suggestum est ab aliquo organo consultationis ut hic Titulus XI fiat « Sectio III - De processu exsecutionis », quae evolvatur per duos articulos, id est:

Art. I: De exsecutione obligationum;

Art. II: De exsecutione sententiae.

Huius suggestionis auctores textum quoque canonum praebent.

De sententia Consultorum talis suggestio transferre vult in ius canonicum praxim quae habetur in iure civili, scilicet de exsecutione sententiae modo iudiciario; in nostro vero iure habetur exsecutio administrativa, quae magis congrua videtur.

— Aliquis Consultor censet e § 2 expungi posse n. 1°, quia omnes casus comprehenduntur in n. 2°, id est « si iusta urgeat causa ». Alter Consultor, autem, consentientibus aliis, praefert retinere n. 1°, quia ibi proponitur casus typicus concedendi exsecutionem provisoriam sententiae, quando nempe agitur de praestationibus ad necessariam sustentationem ordinatis. Textus canonis tamen ita emendatur: « ... praestitis cautionibus, si agatur de provisionibus seu praestationibus ad necessariam sustentationem ordinatis, vel alia iusta causa urgeat ».

— E § 3 expungi debent verba « nn. 1 vel 2 ».

Can. 311 (CIC 1918)

Non antea exsecutioni locus esse poterit, quam exsecutorium iudicis decretum habeatur, quo edicatur sententiam ipsam exsecutioni mandari debere; quod decretum pro diversa causarum natura vel in ipso sententiae tenore includatur vel separatim edatur.

— De sententia cuiusdam organi consultationis dici debet clare cuinam iudici competat decretum exsecutorium edere quando causa visa fuerit in variis instantiis.

Consultores censent talem clarificationem esse superfluam, quia non constat dubia circa hanc quaestionem adfuisse.

Can. 312 (CIC 1919)

Si sententiae exsecutio praeviam rationum redditionem exigat, quaestio incidens habetur, ab illo ipso iudice decidenda, qui tulit sententiam exsecutioni mandandam.

— De hoc canone factae non sunt animadversiones.

Can. 313 (CIC 1920)

§ 1. Nisi lex particularis aliud statuat, sententiam exsecutioni mandare debet per se vel per alium Episcopus dioecesis in qua sententia primi gradus lata est.

§ 2. Quod si hic renuat vel negligat, parte cuius interest instante vel etiam ex officio, exsecutio spectat ad tribunal appellationis.

§ 3. Inter religiosos exsecutio sententiae spectat ad Superiorem, qui definitivam sententiam tulit aut iudicem delegavit.

— Unus Consultor proponit ut sententia, si lata sit a tribunali regionali, exsecutioni mandetur ab Episcopo partis actricis vel ab Episcopo loci in quo obligatio adimplenda est, nisi agatur de causis matrimonialibus, pro quibus providetur per can. 350.

Alter Consultor committere vellet iudici 2ae instantiae munus designandi Episcopum exsecutionis sententiae.

Post brevem disceptationem placet normam § 1 retinere uti est, stante clausula initiali « nisi lex particularis aliud statuat », qua datur facultas aliter providendi si circumstantiae particulares id exigant.

— De sententia alicuius Consultoris in § 3 non clara videtur locutio « *definitivam* sententiam », quia etiam sententia primi gradus est definitiva. Alii Consultores, quamvis censeant illam locutionem nullius dubii causam fuisse, tamen accedunt ut dicatur: « ... ad superiorem, qui sententiam exsecutioni mandandam tulit ... ».

Can. 314 (CIC 1921)

§ 1. Exsecutor, nisi quid eius arbitrio in ipso sententiae tenore fuerit permissum, debet sententiam ipsam, secundum obvium verborum sensum, exsecutioni mandare.

§ 2. Licet ei videre de exceptionibus circa modum et vim exsecutionis, non autem de merito causae; quod si habeat aliunde compertum sententiam esse manifeste iniustam vel nullam, abstineat ab exsecutione, et partes ac promotorem iustitiae tribunalis a quo lata est sententia, certiores faciat, ut iuris impugnationibus uti possint.

— Circa casum de quo in secunda parte § 2, quod scilicet exsecutor abstineat ab exsecutione sententiae cum habeat aliunde compertum sententiam esse manifeste iniustam vel nullam, nonnulli dixerunt necesse esse ut tale iudicium de iniustitia vel nullitate sententiae oriatur non ex subiectiva opinione, sed ex motivis pro quibus datur querela

nullitatis vel restitutio in integrum. Quare suggesserunt ut adderetur in canone: « ... manifeste iniustam vel nullam ad normam cann. 277-279 et 299, abstineat ab exsecutione, etc. ».

Suggestio haec placet Consultoribus, qui tamen ita formulam mutant: « ... sententiam esse nullam vel manifeste iniustam ad normam, etc. ».

— Unus Consultor resumere vellet can. 1921, § 2 quoad ultimam partem, scilicet: « ... abstineat ab exsecutione *et partem ad eum qui exsecutionem commisit remittat* ».

Alter Consultor vero proponit ut dicatur « ... abstineat ab exsecutione et partes ac iudicem, a quo lata est sententia, certiores faciat ».

Consultoribus, collatis consiliis, placet dicere: « ... abstineant ab exsecutione et rem ad tribunal a quo lata est sententia remittat, partibus certioribus factis ».

Can. 315 (CIC 1922)

§ 1. Quod attinet ad reales actiones, quoties adiudicata actori res aliqua est, haec actori tradenda est statim ac res iudicata habetur.

§ 2. 1) Quod vero attinet ad actiones personales, cum reus damnatus est ad rem mobilem praestandam, vel ad solvendam pecuniam, vel ad aliud dandum aut faciendum, quatuor menses conceduntur pro implenda obligatione, nisi agatur de provisionibus ad sustentationem necessariis.

2) Lex particularis autem, et, ea silente vel permittente, iudex vel exsecutor terminum reducere vel prorogare possunt, ita tamen ut neque infra quindecim dies coarctetur neque sex menses excedat.

— Aliquis Consultor, suggestionem aliquam recipiens cuiusdam organi consultationis, proponit ut § 2 ita redigatur:

« Quod vero attinet ... dandum aut faciendum, iudex in ipso tenore sententiae vel exsecutor pro suo arbitrio et prudentia terminum statuat ad implendam obligationem, qui tamen neque infra quindecim dies coarctetur neque sex menses excedat ». Propositio haec omnibus placet.

Can. 316 (CIC 1923)

In exsecutione peragenda exsecutor caveat ut quam minimum damnato noceatur, eaque de causa incipiat exsecutionem a distrahendis rebus quae minus ei necessariae sunt, salvis semper quae eius victui vel industriae deserviunt; et si agatur de clerico, salvis iis quae ad

honestam sui sustentationem sunt necessaria, firma tamen eiusdem obligatione creditoribus quamprimum satisfaciendi.

— Unus Consultor censet hunc canonem plura continere quae congruebant iudiciis de rebus patrimonialibus, quae frequentissima erant in tribunalibus ecclesiasticis temporibus anteactis. Nunc autem, attenta natura quaestionum quae agitantur in nostris tribunalibus, hic canon superfluus videtur et supprimi potest. Propositio omnibus placet.

Can. 317 (CIC 1924)

Exsecutor utatur prius monitis et praeceptis erga reluctantem; ad poenas autem ne deveniat nisi ex necessitate et gradatim.

— Cum suppressus sit can. 316, Consultoribus placet etiam hunc canonem delere.

PARS TERTIA
DE IUDICIIS SPECIALIBUS

SECTIO I
DE PROCESSU CONTENTIOSO SUMMARIO

— Suggestum est ut Pars Tertia, quae praebetur in Schemate, inscribatur « De iudiciis contentiosis specialibus ».

Consultores attente considerant naturam processus contentiosi summarii et post aliquam discussionem admittunt unanimiter eius peculiaritatem in eo esse quod praevalenter sit *oralis*. Quare non recenseri ille debet inter iudicia specialia, sed inter iudicia contentiosa in genere, quorum alterum scripto praevalenter fit, alterum vero praevalenter oraliter.

Hac de causa rubrica generalis secundae partis libri de Processibus erit: *Pars II. Sectio I - De iudicio contentioso ordinario.*

In ipsa secunda parte habebitur *Sectio II - De iudicio contentioso orali.*

Pars Tertia autem erit *De iudiciis specialibus* et ibi recenseri debent causae matrimoniales, compromissum in arbitros, etc.

— Circa propositum inscribendi Sectionem II « De iudicio contentioso orali » loco « de processu contentioso *summario* », omnes Consultores concordes sunt, uno tantum excepto, qui dubium movet an pure et emendate quoad latinitatem *orali* dici possit.

— Aliquis Consultor proponit ut Sectio de processu contentioso orali penitus supprimatur, quia non iam adest ratio talem proceduram introducendi in nostro iure. Etenim Consultores illud schema « De processu contentioso summario » delineaverunt ac proposuerunt eo fine ut processus breviores fierent. Cum autem in processu contentioso ordinario multae emendationes ac normae introductae nunc sint quibus revera consulitur brevitati processuum, deficit ratio praecipua introducendi novam proceduram in nostro iure.

Alter Consultor, quamvis agnoscat schema de processu contentioso orali optimum esse, si ad scientiam iuridicam attendatur, tamen censet hoc schema supprimi posse, quia usus talis viae processualis minimus erit, attento vetito tractandi processu contentioso orali causas matrimoniales.

Quinque Consultores autem tenent processum contentiosum oralem utiliter retineri posse sive quia progressum aliquem in nostro iure constituit, sive quia quaestio de eius usu melius in futuro definiri poterit a competenti auctoritate.

Can. 318

§ 1. Processu contentioso summario, de quo in hac sectione, debent vel possunt eae tantum causae tractari, quas vel ius commune vel lex a Conferentia Episcopali lata, tractandas esse vel tractari posse statuant.

§ 2. Lex particularis non potest admittere ut processu summario tractentur causae, quas ius commune excludit ab hac processus forma, neque potest excludere a processu summario causas, quas ius commune hac forma tractandas esse statuit; potest autem excludere causas, quas ius commune hac forma tractari permittit.

— Proponente aliquo Consultore, formula § 1 ita mutatur:

« Processu contentioso orali de quo in hac sectione tractari possunt omnes causae a iure non exclusae, nisi pars processum contentiosum ordinarium petat ».

— Supprimitur § 2, attenta nova redactione canonis.

At duo Consultores vellent novam § 2 redigere, qua declarentur nullae causae quae illegitime processu contentioso orali tractentur. Alter Consultor proponit ut talis nullitas declaretur in can. 354, tertius autem in can. 277, tamquam casus nullitatis insanabilis.

Post brevem disceptationem, decernitur ut de hac nullitate causae sermo fiat in can. 334.

Adunatio diei 27 martii 1979

Can. 319

Processus contentiosus summarius fit in primo gradu coram iudice unico, ad normam can. 23, nisi lex vel in singulis casibus Episcopus, de quo in can. 18 vel 22, aliter statuat.

— Dici debet « processus contentiosus *oralis* ... ».

— Suggestum est ut deleantur verba secundae partis canonis, i.e. « nisi lex vel in singulis casibus Episcopus ... ». Propositio omnibus placet.

Can. 320

Etiam in casibus, de quibus in can. 87 § 2, pars potest per se ipsa agere et respondere, nisi iudex procuratoris vel advocati ministerium necessarium existimaverit.

— Suggestum est ut hic canon deleatur ita ut etiam in processu contentioso orali teneat norma can. 87, § 2, id est ut iudex parti carenti defensorem ex officio constituat, quando agatur de minoribus aut de iudicio in quo bonum publicum vertitur. Propositio omnibus placet.

Can. 321

§ 1. Libellus quo lis introducitur, praeter ea quae in can. 140 recensentur, debet:

1) facta quibus actoribus petitiones innitantur, breviter, integre et perspicue exponere;

2) probationes quibus actor facta demonstrare intendit, quasque simul afferre non possit, ita indicare ut statim colligi a iudice possint.

§ 2. Libello adnecti debent, saltem in exemplari authentico, documenta quibus petitio innititur.

— Nonnulli animadverterunt in libello quo lis introducitur plura requiri quae praeviam investigationem supponere videntur.

Consultores respondent id exigi ab indole peculiari huius processus, qui delineatus est eo fine ut tempori parcatur.

— Suggestum est ut in § 1, n. 2 praeceptum addatur exhibendi etiam nomina testium.

Consultores respondent id clare ex textu innui posse, cum dicatur « probationes ... ita indicare ut *statim* a iudice colligi possint ».

Can. 322

§ 1. Accepto libello iudex in primis satagat ut pacificatio inter partes fiat, vel saltem ut ad compositionem deveniatur, vitatis tamen inutilibus moris.

§ 2. Quando conamen conciliationis incassum cesserit, iudex, si aestimet libellum aliquo fundamento niti, intra tres dies, decreto ad calcem ipsius libelli apposito, praecipiat communicari, notarii cura et quocumque medio efficaci et discreto, exemplar petitionis parti conventae, facta huic facultate mittendi, intra quindecim dies, ad cancellariam tribunalis scriptam responsionem.

§ 3. Haec notificatio effectus habet citationis iudicialis de quibus in can. 153.

— Attenta nova redactione can. 46, § 2, Consultoribus placet delere normam § 1.

— Consultores, collatis consiliis, formulam § 2 ita mutant:

« Si conamen conciliationis ad normam can. 46, § 2 inutile cesserit, iudex ... praecipiat notificari exemplar petitionis parti conventae, etc. ».

— Ut auferatur omne dubium utrum actor exhibere possit petitionem scriptam, an oralem, Consultores decernunt can. 139, § 2, ita complere:

« In utroque tamen casu, iudex notarium iubeat scriptis actum redigere qui actori legendus est et ab eo probandus, *quique libelli ab auctore scripti ad omnis iuris effectus locum tenet* ».

Can. 323

Si exceptiones partis conventae id exigant, iudex parti actrici praefigat terminum ad respondendum, ita ut ex allatis utrisque elementis ipse controversiae obiectum perspectum habeat.

— Aliquis Consultor proponit ut can. 323 (et deinde cann. 324 et 327) modificetur ad introducendam in processu contentioso orali *Audientiam Praeliminarem,* quae invenitur in « Codice di procedura

civile dello Stato della Città del Vaticano » (aa. 243-249) atque in processu civili austriaco (*Zivilprozesordnung §§ 239-242*) cum temporis, laboris ac iustitiae magno emolumento. Huius audientiae scopus est praeparare audientiam principalem quatenus illius obiectum simul cum partibus brevius ac melius determinatur; pertractantur ac solvuntur exceptiones dilatoriae ac peremptoriae aliaque incidentia; admittuntur novae probationes et declaratur contumacia conventi vel actoris ubi verificentur. Hoc modo, liberata de his omnibus, audientia principalis limitatur ad pertractandam quaestionem de merito cum magna applicatione principii concentrationis quod est fundamentale in structura huius processus.

Formula esset haec:

Can. 323: § 1. Elapso termino de quo in can. 322, § 2, iudex partes citet ad audientiam praeliminarem intra decem dies celebrandam, communicata cum parte actrice partis conventae responsione.

§ 2. = § 2 can. 324 ».

Can. 324: « In audientia praeliminari haec fieri debent:

1) tractabuntur quaestiones de quibus in cann. 62-68, quae a iudice definientur decreto interlocutorio orali a notario scriptis redigendo;

2) quoties pars actrix suam petitionem mutare velit hoc deinde fiat;

3) controversiae articuli accurate definientur;

4) de novis probationibus allatis vel petitis admittendis videbitur;

5) partis conventae vel actricis absentia declarabitur;

6) partes citentur ad audientiam pro causa principali, non citra decem nec ultra triginta dies celebrandam ».

Unus Consultor favet huic propositioni.

Alii Consultores laudant indolem didacticam huius redactionis, censent autem pro indole iuridica et technica Codicis meliores esse textus canonum qui praebentur in Schemate.

His dictis, Consultores decernunt ut servetur can. 323 prout est in Schemate.

Can. 324

§ 1. Elapsis terminis, de quibus in cann. 322 et 323, iudex, perspectis actis, formulam dubii determinet; dein partes citet ad audientiam, non citra decem nec ultra triginta dies celebrandam, addita citationi dubii formula.

§ 2. In citatione partes certiores fiant se posse, tres saltem ante audientiam dies, aliquod breve scriptum tribunali exhibere ad sua asserta comprobanda; quod si faciant, debent, praeter archetypum, tot tradere exemplaria quot sunt ceterae partes, quibus haec exemplaria quamprimum sunt significanda.

— Consultores, collatis consiliis, ita formulam § 1 mutant:

« ... determinet; dein ad audientiam, non ultra triginta dies celebrandam, omnes citet qui in ea interesse debent, addita pro partibus dubii formula ».

— Unus Consultor proponit ut supprimatur secunda pars § 2, quia continet elementa nimis minuta. Propositio omnibus placet.

Can. 325

§ 1. Probationes colliguntur in audientia, ad quam testes quoque citandi sunt, salvo praescripto can. 17.

§ 2. Pars eiusque advocatus assistere potest excussioni et ceterarum partium et testium.

— Consultores delere volunt in § 1 verba « ad quam testes quoque citandi sunt », quia superflua videntur.

— In § 2 dici debet « possunt » loco « potest ».

— Aliquis Consultor addere vellet in § 2: « ... partium, testium *et peritorum* ». Alii Consultores sunt contrarii, quia, in casu, etiam periti veniunt sub nomine « testium ».

Can. 326

§ 1. In audientia responsiones partium, testium, peritorum, petitiones et exceptiones advocatorum, redigendae sunt scripto a notario, sed summatim et in iis tantummodo quae pertinent ad substantiam rei controversae.

§ 2. Admitti potest usus machinae magnetophonicae, dummodo dein responsiones scripto consignentur et subscribantur a deponentibus.

— Unus Consultor proponit ut dicatur in § 1 quod notarius scribat « iudice dictante ». Alii Consultores praeferunt nihil dicere de hac re, ut habeatur libertas.

— Suggestum est ut deleatur e § 1 verbum « summatim », sed Consultores nolunt hoc verbum delere, ut parcatur brevitati; potius Consultoribus placet addere in fine § 1 haec verba: « et a deponentibus subsignandae », ita ut deponentes recognoscere possint quae notarius scripsit.

— Norma quae habetur in § 2 translata iam fuit in can. 210.

Can. 327

In audientia primum tractantur quaestiones de quibus in cann. 62-68.

— Consultoribus placet propositio alicuius Consultoris transferendi hunc canonem post can. 324.

— Dici debet: « ... de quibus in cann. 62-67 », quia can. 68 suppressus fuit.

Can. 328

Si in audientia probationes iam admissae colligi haud poterint, vel iudex necessarium duxerit novas probationes colligere, altera statuitur audientia.

— Consultores, collatis consiliis, ita canonem redigunt:

« Si in audientia probationes omnes colligi non potuerint, altera statuatur audientia ».

— Consultores decernunt ut hic canon collocetur post canonem 329.

Can. 329

Probationes, quae non sint in petitione vel responsione allatae aut petitae, potest iudex admittere tantum ad normam can. 53; postquam autem vel unus testis auditus est, iudex potest tantummodo ad normam can. 217 novas probationes decernere.

— Dici debet « ad normam can. 259 », loco « 217 », quia materia illorum canonum unificata fuit sub can. 259.

Can. 330

Probationibus collectis, proceditur in eadem audientia ad discussionem oralem.

— Nonnulli conquesti sunt eo quod in audientia discussio oralis praescribatur. Consultores vero respondent in hoc esse peculiaritatem huius processus, ut sit oralis, ad consulendum celeritati.

Can. 331

§ 1. Nisi ex discussione quid supplendum in causae instructione comperiatur, vel aliud exsistat quod impediat sententiam rite proferre, causa in fine audientiae decidatur, et dispositiva sententiae pars statim coram partibus presentibus legatur.

§ 2. Potest autem tribunal propter rei difficultatem vel aliam iustam causam usque ad quintum utilem diem decisionem differre.

§ 3. Integer sententiae textus, motivis expressis, quamprimum, nec ordinarie ultra quindecim dies, partibus notificetur.

— Nonnullis parum probatur quod iudex debeat in fine audientiae causam decidere et dispositivam sententiae partem statim coram partibus praesentibus legere. Iudex enim indiget aliquo tempore et quiete ut rem mature perpendat, quare utile esset decisionem ad quintum diem et, propter necessitatem, ad decimum diem differre.

Consultores censent normam § 2 sufficienter cavere difficultatibus contingentibus, attamen opportunum censent ut iudex *seorsum* causam decidere possit. Ideo formula § 1 ita mutatur: « ... sententiam rite proferre, iudex illico, expleta audientia, causam seorsum decidat; dispositiva sententiae pars statim ... ».

Can. 332

Tribunal potest suo decreto normis processualibus, quae non sint ad validitatem statutae, derogare, ut celeritati, salva iustitia, consulat.

— Est qui censeat facultatem, iudici per hunc canonem concessam, esse nimiam, quae in arbitrio mutari potest.

Consultores censent sufficienter caveri ab abusibus per clausulam « quae non sint ad validitatem statutae ». Potius ipsi Consultores animadvertunt hanc normam non integram esse, quia deest remissio ad normas de processu contentioso ordinario in ceteris quae ad rationem procedendi attinent.

Aliquis Consultor proponit hanc formulam:

« In ceteris quae ad rationem procedendi attinent, serventur praescripta canonum de iudicio contentioso ordinario. Tribunal autem po-

test, suo decreto, motivis praedito, normis processualibus, quae non sunt ad validitatem statutae, derogare, ut celeritati, salva iustitia, consulat ».

Consultores hanc formulam approbant et decernunt ut collocetur post can. 334.

Can. 333

§ 1. Ad recipiendas appellationes competens est tribunal a iure designatum vel a Conferentia Episcopali determinandum.

§ 2. In causis, quae versantur circa privatum tantum partium bonum, tribunal appellationis, si in primo gradu iudex unicus iudicaverit et partes consentiant, potest ex unico iudice constare; secus debet ex tribus iudicibus constitui.

— Unus Consultor animadvertit hunc canonem deleri posse, quia circa competentiam valent normae generales. Propositio omnibus placet.

Can. 334

Si tribunal appellationis perspiciat in inferiori iudicii gradu summarium processum esse adhibitum extra casus a iure statutos vel permissos ad normam can. 318, causam iudicare debet secundum ordinarii processus normas; quod si ex non servato processu ordinario sententia nullitate laboret, tribunal appellationis debet nullitatem declarare.

— Iuxta ea quae deliberaverunt occasione revisionis can. 318, Consultores ita praesentem canonem redigunt:

« Si tribunal appellationis perspiciat in inferiori iudicii gradu processum contentiosum oralem esse adhibitum extra casus a iure admissos, nullitatem sententiae declaret et causam remittat tribunali quod sententiam tulit ».

Adunatio diei 28 martii 1979

SECTIO II

DE CAUSIS MATRIMONIALIBUS

TITULUS I

DE CAUSIS AD MATRIMONII NULLITATEM DECLARANDAM

Art. 1.

DE FORO COMPETENTI

Uti supra dictum est, rubrica ita inscribi debet:

PARS TERTIA

DE IUDICIIS SPECIALIBUS

SECTIO I

DE CAUSIS MATRIMONIALIBUS

etc. etc. etc.

Can. 335 (CIC 1960)

Causae matrimoniales baptizatorum iure proprio ad iudicem ecclesiasticum spectant.

— Est qui censeat verbum « baptizatorum » non recte esse adhibitum, quia in doctrina opiniones contrariae habentur, et proponitur ut dicatur « causae matrimoniales eorum *qui sunt coniuncti sacramento matrimonii* ».

Consultores vero censent non opportunum esse a CIC circa hanc quaestionem digredi, secus posset quis argumentum trahere pro sua opinione.

— Nonnulli quaesierunt cur suppressa sint verba « et exclusivo » quae prostabant in CIC.

Ratio est quia illa verba contentiones dissentionesque sapiebant et parum Oecumenismo conferebant.

Can. 336 (CIC 1961)

Causae de effectibus matrimonii mere civilibus pertinent ad civilem magistratum, nisi ius particulare statuat easdem causas, quando incidenter et accessorie agantur, posse a iudice ecclesiastico cognosci ac definiri.

Nonnulli animadverterunt verba « mere civilibus » esse nimis restrictiva.

Consultores respondent illa verba ampliari non posse, cum in iure substantivo de matrimonio agnoscatur competentia civilis potestatis circa mere civiles tantum effectus matrimonii.

— Nonnulli suggesserunt ut dicatur « *deferantur* ad civilem magistratum » loco « pertinent ». Consultoribus autem placet retinere verbum « pertinent ».

Can. 337 (CIC 1962 et 1964)

§ 1. In causis de matrimonii nullitate quae non sint Sedi Apostolicae reservatae competens est:

1) tribunal loci in quo matrimonium celebratum est, vel

2) tribunal loci in quo pars conventa commorationem non praecariam habeat, quae ex aliquo publico regesto vel alio legitimo modo probari possit, vel

3) tribunal loci in quo de facto colligendae sint pleraeque depositiones seu probationes, dummodo accedat consensus tum Ordinarii loci commorationis partis conventae, tum Ordinarii loci et praesidis tribunalis aditi.

§ 2. In casu de quo in praecedenti n. 3, tribunal, antequam causam admittat, exquirat a parte conventa num aliquid excipiendum habeat contra forum aditum a parte actrice.

— Plures petierunt ut admittatur competentia tribunalis loci ubi actor commoratur.

Fere omnes Consultores sententiam positivam exprimunt circa hanc quaestionem, etsi admittant quibusdam sub conditionibus circumscribendam esse talem facultatem.

Quidam Consultor revocat rationes quae temporibus transactis suadebant ut non concederetur forum actoris, quia nempe circumstantiae, praesertim quoad itinera, tales erant, ut pars conventa in conditionibus difficilioribus esset si forum actoris admitteretur. Quibus de causis, forum parti conventae favorabilius statuebatur ne ipsa iniustitiam ex

hoc capite subiret. Nunc autem, mutatis circumstantiis, non est ratio urgendi talem favorem, dummodo concessio foris actoris quibusdam conditionibus subiiciatur. Praeterea fere omnes Consultores admittunt actorem, in multis regionibus, ad petendam declarationem nullitatis inductum esse ratione conscientiae, dum ad alios effectus patet via divortii civilis. De qua ratione conscientiae parti conventae saepe saepius nihil refert, quo fit ut ipsa tribunali ne compareat quidem. Convenit ergo ut forum actoris admittatur.

Alter Consultor tamen graves obiectiones habet contra talem facultatem, quia ex experientia Tribunalis Supremi Signaturae Apostolicae, ob munus vigilantiae quae ipsi competit, plures ac graves abusus lamentatur circa fori competentiam, postquam, per M. P. « Causas matrimoniales » et per alias facultates, normae circa forum competens ampliatae sunt. Qua de causa, si placet forum actoris admittere, semper requiri debet consensus partis conventae.

Post hanc discussionem, fit suffragatio an placeat concedere forum actoris, certis sub conditionibus: placet omnibus.

— In § 1, n. 2, supprimi debet titulus competentiae ex « commoratione non precaria » (cf. ea quae dicta sunt occasione revisionis can. 8), quia latior ac magis determinata est notio quasi-domicilii in Schemate De Populo Dei admissa.

— Circa clausulam quae prostat in § 1, n. 3 (dummodo accedat consensus, etc.), quidam vellent illam delere, alii autem vellent illam mutare, diversis diversa tamen opinantibus circa illos qui consensum dare debent.

Post brevem disceptationem, Consultores concordant ut exquiratur consensus Vicarii iudicialis *domicilii* partis conventae.

Cuidam Consultori placeret ut etiam Vicarius iudicialis quasi-domicilii partis conventae hunc consensum dare posset.

His omnibus praemissis, Consultores, communi consilio, ita canonem redigunt:

« In causis de matrimonii nullitate quae non sint Sedi Apostolicae reservatae, competens est:

1) tribunal loci in quo matrimonium celebratum est, vel

2) tribunal loci in quo pars conventa domicilium vel quasi-domicilium habet, vel

3) tribunal loci in quo pars actrix domicilium habet, dummodo utraque pars in territorio eiusdem nationis degat et tribunal loci domicilii partis conventae, ipsa audita, consentiat, vel

4) tribunal loci in quo de facto colligendae sint pleraeque probationes, dummodo accedat consensus Vicarii iudicialis domicilii partis conventae, qui prius ipsam interroget num quid excipiendum habeat ».

Art. 2.

De iure impugnandi matrimonium

Can. 338 (CIC 1971)

Habiles sunt ad matrimonium impugnandum:

1) coniuges;

2) Promotor iustitiae, in tuitionem publici boni, quando nullitas fundatur in facto de se publico, si matrimonium convalidari nequeat aut non expediat.

— Suggestum est ut initio canonis dicatur: « Habiles sunt *ad actionem de validitate matrimonii instituendam* », ut vitetur idea « pugnae » contra matrimonium.

Suggestio haec non placet consultoribus, quia ratio mutationis non videtur fundata.

— Unus Consultor proponit ut in n. 2 dicatur: « ... quando factum, in quo nullitas fundatur, publicum evaserit ». Etiam alii duo Consultores concordes sunt, quia, dicunt ipsi, casus interventus Promotoris iustitiae omnino extraordinarius esse debet, cum scilicet ratio gravis scandali adsit.

Consultores, collatis consiliis, ita n. 2 redigunt:

« Promotor iustitiae quando nullitas publica evaserit, si matrimonium convalidari nequeat aut non expediat ».

Fit suffragatio an placeat haec formula: placet 7, non placet 1.

Adunatio diei 29 martii 1979

Can. 339 (CIC 1972)

§ 1. Matrimonium quod utroque coniuge vivente, non fuerit accusatum, post mortem alterutrius vel utriusque coniugis ita praesumitur validum fuisse, ut contra hanc praesumptionem non admittatur probatio, nisi quaestio de validitate praeiudicialis habeatur ad aliam connexam solvendam controversiam.

§ 2. Si autem coniux moriatur pendente causa, servetur can. 159 et 291.

— De sententia alicuius organi consultationis, valde suadetur delere e canone falsam praesumptionem can. 1972 CIC. Matrimonium enim validius non est post mortem alterutrius vel utriusque coniugis; agitur tantummodo de prohibitione proponendi causam, id est de actionis denegatione. Suggestio haec placet Consultoribus.

— Suggestum est ut in fine § 1 addatur: « etsi pendentem coram alio iudice ecclesiastico vel iudice civili ». Ratio est quia « alia conexa solvenda controversia », de qua in canone, saepe saepius pendet coram iudice civili. Propositio placet Consultoribus.

His dictis, sequens formula proponitur ab aliquo Consultore, quae omnibus placet:

« § 1. Matrimonium quod ... vel utriusque coniugis accusari non potest, nisi quaestio de validitate sit praeiudicialis ad aliam solvendam controversiam sive in foro canonico sive in foro civili ».

— Unus Consultor censet § 2 deleri posse, quia superflua; sed alii Consultores non idem sentiunt.

— E § 2 expungi debet citatio can. 291, quia ille canon suppressus fuit.

Art. 3.

De officio iudicum et tribunalis ministrorum

Can. 340 (novus)

Iudex, antequam causam acceptet et quotiescumque spem boni exitus perspiciat, pastoralia media adhibeat, ut coniuges, si fieri potest, ad matrimonium convalidandum et ad vitae communionem restaurandam inducantur.

— Nonnulli (paucissimi tamen) dixerunt hunc canonem inutilem esse vel quia coniugum communio, proh dolor!, iam rescissa est quando devenitur ad declarationem nullitatis petendam, vel quia non videtur opportunum tale onus iudici imponere.

Consultores autem volunt canonem retinere, sive quia permultis organis consultationis norma placuit, sive quia in luce ponitur interesse Ecclesiae pro stabilitate vinculi matrimonialis, omnibus modis fovenda ac tuenda.

— Aliquis Consultor proponit ut in canone dicatur: « ... ad matrimonium *forte* convalidandum » (omnibus placet).

Can. 341 (novus)

§ 1. Libello acceptato, praeses vel ponens, nisi alterutra pars expressam litis contestationem petat, intra decem dies formulam dubii vel dubiorum decreto suo statuit ex officio et partibus notificat.

§ 2. Formula dubii non tantum quaerat an constet de nullitate matrimonii in casu, sed determinare debet quo capite vel quibus capitibus nuptiarum validitas impugnetur.

§ 3. Post decem dies a notificatione decreti, si partes nihil opposuerint, praeses vel ponens novo decreto causae instructionem disponit.

— Occasione recognitionis can. 144 (quo praecipitur ut notificetur parti conventae decretum citationis una cum libello litis introductorio), dilata est quaestio utrum in causis quoque matrimonialibus notificari debeat parti conventae libellus litis introductionis, an scilicet debeat hic poni norma qua derogetur illi generali can. 144.

Fit brevis discussio, in qua quinque Consultores exprimunt sententiam favorabilem ut libellus notificetur parti conventae, dum quatuor Consultores sententiam negativam proferunt.

Cum maior pars Consultorum petat notificationem libelli, nulla ponitur hic norma quae sit derogatoria can. 144.

— Suggestum est ab aliquibus organis consultationis ut terminus decem dierum, de quo in § 1, protrahatur aliquantulum; alius autem organus petiit ut ille terminus statuatur a iudice.

Consultoribus placet longiores terminos statuere, id est quindecim dies ut partes contestationem litis petere possint, quibus vero silentibus decurrit terminus decem dierum ut iudex formulam dubii ex officio statuat.

— Nonnulli suggesserunt ut formula dubii quaerat tantummodo « an constet de nullitate matrimonii, in casu », alii autem ut iudex possit ante conclusionem in causa statuere capita quibus validitas matrimonii impugnatur, alii demum ut iudex possit ante conclusionem in causa dubiorum formulam mutare et nova addere capita quibus nuptiarum validitas impugnetur.

Aliquis Consultor expungere vellet e § 2 verba: « sed determinare debet quo capite vel quibus capitibus nuptiarum validitas impugnetur », contradicentibus vero duobus Consultoribus, quibus necessaria

videtur determinatio praevia capitis impugnationis, ut instructio causae apte fieri possit.

De sententia aliorum Consultorum, sufficiens videtur provisio can. 156, quo controversiae termini mutari possunt « novo decreto, ex gravi causa, ad instantiam partis et auditis partibus earumque rationibus perpensis », quare in praesenti can. 341 nihil mutandum consultores censent ad § 2 quod attinet.

— Aliqui petierunt ut dicatur notificationem libelli habere effectus citationis iudicialis de quibus in can. 153. Propositio placet Consultoribus.

His dictis, habetur nova redactio canonis, quae ab uno Consultore proponitur et ab aliis approbatur:

« § 1. Libello acceptato, praeses vel ponens procedat ad normam can. 322, § 1. Libelli notificatio effectus habet citationis iudicialis, de quibus in can. 153.

§ 2. Transacto termino quindecim dierum a notificatione, praeses vel ponens, nisi alterutra pars sessionem ad litem contestandam petierit, intra decem dies formulam dubii vel dubiorum decreto suo statuat ex officio et partibus notificet.

§ 3. = Can. 341, § 2 schematis.

§ 4. = Can. 341, § 3 schematis ».

Can. 342 (novus)

Defensori vinculi et insimul patronis partium ius est:

1) examini partium, testium et peritorum adesse, salvo praescripto can. 203;

2) acta processus, etsi nondum publicati, invisere et documenta a partibus producta recognoscere.

— Consultoribus placet primam partem canonis ita mutare: « Defensori vinculi, partium patronis et, si in iudicio sit, etiam promotori iustitiae, ius est ... ».

— Quaesitum est a quibusdam utrum patroni quoque possint interrogationes facere. Consultores respondent positive, servato tamen can. 205, id est quod interrogationes non directe testi proponantur, sed per iudicem, nisi aliter lex particularis caveat.

— Suggestum est ut norma n. 1 mutetur eo sensu quod defensor vinculi et patroni examini testium et peritorum adesse possint *si praeses tribunalis id opportunum censuerit.*

Consultores censent difficultatibus, quae forte evenire possunt ob praesentiam defensoris vinculi et patronorum, sufficienter obveniri posse per can. 203, ubi facultas tribuitur iudici secreto procedendi, *si ita ipse censeat*.

— Proponente uno Consultore, omnibus placet ut in n. 2 dicatur « acta *iudicialia* » loco « acta processus ».

— Quaestio deinde fit inter Consultores utrum in processu matrimoniali concedi debeat partibus ut adesse possint examini partium, testium et peritorum. Consultores unanimiter respondent negative et ideo decernunt ut addatur alia § in can. 342 ita redacta:

« Examini de quo in § 1, n. 1 partes assistere nequeunt ».

— Hic canon, de sententia Consultorum, poni debet sub rubrica « Art. 4 - De probationibus », ante can. 343.

Art. 4.

De probationibus

Can. 343 (CIC 1974-1975)

Nisi probationes aliunde plenae habeantur, iudex, ad partium depositiones ad normam can. 178 aestimandas, testes de ipsarum partium credibilitate, si fieri potest, adhibeat, praeter alia indicia et adminicula.

— Aliquis Consultor censet hunc canonem deleri posse, stante can. 177.

Propositio non placet Consultoribus, quia in praesenti canone asseritur « testes de ipsarum partium credibilitate » esse « elementum » quod, ad normam can. 177, depositiones partium corroborare potest.

— In canone referri debet can. 177 loco can. 178, attenta novissima recognitione.

— Suggestum est ut canon ita redigatur:

« § 1. Nisi probationes aliunde plenae habeantur, inter elementa, de quibus in can. 177 § 2, testes de partium credibilitate adhiberi possunt.

§ 2. Iudex serio aestimet, num ex toto actorum complexu moralis certitudo de nullitate matrimonii oriatur ».

Consultoribus haec formula non placet, quia explicatio quam praebet § 1 videtur obvia, et quia cautela in § 2 expressa videtur superflua, cum nemo tenere possit sola « testimonia credibilitatis » sufficere ad certitudinem moralem, toto actorum complexu praetermisso vel neglecto.

Can. 344 (CIC 1977-1982)

§ 1. In causis de impotentia vel de consensus defectu propter mentis morbum iudex unius periti vel plurium opera utatur; in ceteris causis servetur praescriptum can. 222.

§ 2. In corporis inspectione, praesertim si in mulierem fiat, christianae modestiae regulae plene serventur, observatis etiam legis particularis praescriptis.

— Nonnullis opportuna videtur mitigatio praecepti utendi opera peritorum, vel quia non semper id necessarium est vel quia alicubi desunt periti.

Suggestio placet Consultoribus, qui haec verba addere decernunt: « ... opera utatur, *nisi ex adiunctis inutilis evidenter appareat;* in ceteris etc. ».

— Est qui censeat § 2 deleri posse, quia regulae modestiae in casu praescribuntur ab ipsa ethica professionali.

Fere omnes Consultores idem sentiunt, uno excepto.

Art. 5.

De sententia et appellatione

Can. 346 (CIC 1985)

Quoties in instructione causae nullitatis matrimonii dubium valde probabile emerserit de non secuta matrimonii consummatione, tribunal potest, suspensa de consensu partium causa nullitatis, instructionem complere pro dispensatione super rato, ac tandem acta transmittere ad S. C. de disciplina Sacramentorum deque Cultu Divino una cum petitione dispensationis ab alterutro vel utroque coniuge et cum voto tribunalis.

— Aliqui animadverterunt hanc normam concordandam esse cum Instructione Sacrae Congregationis de Sacramentis, anni 1972, ubi requiritur etiam votum Episcopi.

Suggestio placet Consultoribus, quare in fine canonis additur: « ... cum voto tribunalis *et Episcopi* ».

— Unus Consultor proponit ut dicatur: « ad Sedem Apostolicam » loco « ad S. Congregationem de disciplina Sacramentorum deque Cultu Divino » (placet omnibus).

Adunatio diei 30 martii 1979

Huic adunationi praeest Cardinalis Praeses.

Can. 347 (CIC 1986 et 1989)

§ 1. A sententia, matrimonii nullitatem primum declarante, vinculi defensor appellare debet intra legitimum tempus; quod si facere negligat, acta transmittantur ex officio, auctoritate praesidis, ad tribunal appellationis ad normam can. 290, et ad ulteriora procedatur, tanquam si appellatio a vinculi defensore proposita sit.

§ 2. Vinculi defensor apud tribunal appellationis non potest appellationi adversus primam sententiam, quae matrimonii nullitatem declaraverit, renuntiare; quamprimum autem, accurate perpensis actis, debet scripto declarare utrum contra sententiam impugnatam quidpiam opponendum habeat necne.

§ 3. Perpensis animadversionibus defensoris vinculi, de quibus in § 2, et, si qua sit, partis appellantis, collegium suo decreto vel decisionem impugnatam continenter confirmat vel ad ordinarium examen novi gradus causam admittit.

§ 4. Praescripta can. 308 servanda sunt, etiam si sententia, quae matrimonii nullitatem declaraverit, non altera sententia sed decreto confirmata sit.

— Plura organa consultationis petierunt ut non fiat defensori vinculi obligatio semper appellandi a sententia matrimonii nullitatem primum declarante.

Unus Consultor proponit ut ad claritatem disceptationis duo quaestiones distincte examinentur:

1) utrum sententia matrimonii nullitatem primum declarante novo examini subicienda sit;

2) utrum onus appellandi tribuendum sit defensori vinculi.

Ipse consultor quoad primam quaestionem respondit positive; quoad vero alteram quaestionem censet appellationem fieri posse ex officio ope ipsius tribunalis quod transmittat processum ad aliam instantiam. Qui modus procedendi legitimus haberi debet, cum causa in altera instantia non careat actore eo quod adest novus defensor vinculi.

Fere omnes alii Consultores item censent sententiam novo examini

subiiciendam esse ut, quantum fieri potest, errores vitentur, eo vel magis quod in can. 24 data est facultas, accedente necessitate, committendi causam iudici unico. Neque idonea videtur alia solutio, a quibusdam adumbrata, ut nempe celerior celebratio processus assequatur per dispensationem in casibus particularibus a secunda instantia, quia talis dispensatio non posset dari scite ac prudenter, quin totus processus legatur ac perpendatur. Ad finem autem tempora breviora assequendi in celebratione processus magis idonea videtur procedura instaurata per M. P. « Causas matrimoniales » confirmandi nempe sententiam per decretum.

Etiam quoad alteram quaestionem fere omnes Consultores concordant ut appellatio fiat ex officio, ope ipsius tribunalis, salvo iure partium et defensoris vinculi et ipsi appellandi.

Aliquis Consultor autem supprimere vellet necessitatem novo examini subiiciendi sententiam matrimonii nullitatem primum declarantem et hoc tribus de causis:

a) sub adspectu iuridico necessitas appellationis non respondet mentalitati et moribus aliquorum populorum; in iure civili Statuum Foederatorum Americanorum ex. gr. aliena videtur ratio alicuius appellationis necessariae;

b) sub adspectu pastorali urget procedura talis qua haberi possit sententia nullitatis breviori quo fieri possit tempore, ut Ecclesia nempe praebeat solutionem quaestionum quae ex hoc capite conscientiam fidelium perturbant;

c) sub adspectu practico opportuna videtur ratio agendi quae concretis circumstantiis respondeat. Cum perplures sint causae matrimoniales in nostris tribunalibus, quibus minime correspondet adhaequata tribunalium organisatio ac copia iudicum, merito timeri potest statum hunc rerum peiorem fieri si appellatio facienda sit.

Alter Consultor animadvertit has rationes non habere talem vim ut Coetus recedere debeat a sua sententia. Re enim vera, non tenet ratio diversae culturae et morum quorundam populorum, quia secus plurae exigentiae vitae christianae praeteriri deberent cum contrariae sint mentalitati « huius saeculi »; Ecclesia vero praetermittere nequit ea omnia quae magis conferunt indissolubilitati vinculi matrimonialis. Neque tenet ratio subveniendi necessitatibus pastoralibus, quia, si res bene considerentur, expeditior fit celebratio processus per proceduram instauratam a M. P. « Causas matrimoniales », quam per proceduram (recte quidem applicandam) adhibitam in quibusdam regionibus vi facultatum specialium ipsis concessis. Neque tenet ratio practica, quia omnibus

patet via constituendi tribunalia regionalia saltem pro secunda instantia, ita ut necessitatibus contingentibus, viribus unitis, satisfieri possit.

His dictis fit suffragatio an placeat retinere examen secundi gradus pro sententiis matrimonii nullitatem declarantibus: placet 8, non placet 1.

Deinde fit quaestio utrum examen secundi gradus per decretum factum, iuxta M. P. « Causas matrimoniales », adhiberi possit pro omnibus sententiis primum nullitatem declarantibus, vel pro sententiis affirmativis primi gradus tantum.

Duo Consultores petunt ut omnis sententia affirmativa, in quocumque gradu data, possit in ulteriori gradu per decretum confirmari.

Omnes alii Consultores autem sunt contrarii quia, si sententia fuit negativa in primo gradu, iam prudens videtur ut alia sententia affirmativa assequatur per processum formalem ordinarium. Isti Consultores pro sua sententia invocant responsionem Pontificiae Commissionis Decretis Concilii Vat. II Interpretandis, diei 31 octobris 1973.

Fit suffragatio an placeat assignare definitionem causae per decretum in solis casibus quando instantia primi gradus matrimonii nullitatem declaravit: placet 7, non placet 2.

His praemissis, aliquis Consultor ita redigit can. 347:

« § 1. Sententia, quae matrimonii nullitatem primum declaraverit, una cum appellationibus, si quae sint et ceteris iudicii actis, intra viginti dies a sententiae publicatione ad tribunal appellationis ex officio transmittatur.

§ 2. Si sententia pro matrimonii nullitate prolata sit in primo iudicii gradu, tribunal appellationis, perpensis animadversionibus defensoris vinculi et, si quae sint, etiam partium, suo decreto vel decisionem continenter confirmet vel ad ordinarium examen novi gradus causam admittit ».

Haec formula absorbit §§ 1-2-3 can. 347 schematis; § 4 autem erit § 2 can. 348.

Fit suffragatio an placeat nova redactio can. 347: placet omnibus.

Can. 348 (CIC 1987)

Postquam sententia, quae matrimonii nullitatem primum declaravit, in gradu appellationis confirmata est vel decreto vel altera sententia, ii, quorum matrimonium declaratum est nullum, possunt novas nuptias contrahere statim ac decretum vel altera sententia ipsis notificata est.

— Suggestum est ut novum matrimonium contrahi possit non ante

aliquot dies a notificatione aliae sententiae affirmativae; alii autem suspendere vellent facultatem novas nuptias contrahendi, quando altera pars novam appellationem contra sententiam interposuerit.

Consultores praeferunt normam prouti est, quia non aequum videtur alias difficultates interponere cum altera sententia affirmativa habita iam fuerit.

— Huic canoni addi debet § 2, adhibita formula can. 347, § 4 Schematis.

Can. 349 (novus)

Si in gradu appellationis novum nullitatis matrimonii caput afferatur, tribunal potest, si nemo contradicat, illud admittere; quod si fiat, de eo iudicabit tanquam in prima instantia.

— Aliquis Consultor proponit ut formula ita mutetur: « ... tribunal, potest, tamquam in prima instantia, illud admittere, et de eo iudicare ». Propositio omnibus placet.

— Suggestum est ut hic canon collocetur post can. 347. Quod omnibus placet.

Can. 350 (CIC 1988)

Statim ac sententia facta est exsecutiva, praeses tribunalis debet eandem notificare Ordinario loci in quo matrimonium celebratum est. Is autem curare tenetur ut quantocius de decreta nullitate matrimonii et de vetitis forte statutis in libris tum matrimoniorum tum baptizatorum mentio fiat.

— Unus Consultor proponit ut dicatur « Vicarius iudicialis », loco « praeses tribunalis ». Alter Consultor non idem sentit quia non semper habetur Vicarius iudicialis in dioecesi.

Fit suffragatio an placeat propositio primi Consultoris: placet 5, non placet 3.

— Aliquis Consultor ita secundam partem canonis mutare vult: « ... is autem curare debet ut quamprimum de decreta nullitate matrimonii et de vetitis forte statutis in matrimoniorum et baptizatorum libris mentio fiat ». Propositio omnibus placet.

— Suggestum est ut onus curandi adnotationem in libro matrimoniorum et baptizatorum incumbat Vicario iudiciali, loco Ordinarii. Suggestio non placet Consultoribus, quia Vicarius iudicialis non pollet potestate aliquid parochis imponendi.

Art. 6.

De processu matrimoniali summario

Can. 351 (CIC 1990)

Recepta petitione ad normam can. 341 proposita, Vicarius Iudicialis vel iudex ab ipso designatus potest, praetermissis sollemnitatibus ordinarii processus sed citatis partibus et cum interventu defensoris vinculi, matrimonii nullitatem sententia declarare, cum ex documento, quod nulli contradictioni vel exceptioni sit obnoxium, certo constet:

1) de exsistentia impedimenti dirimentis vel de defectu formae, dummodo pari certitudine pateat dispensationem datam non esse;

2) de defectu validi mandati procuratoris.

— Suggestum est ut rubrica Articuli 6 inscribatur potius « De processu documentali nullitatis matrimonii », vel: « De processu matrimoniali speciali ».

Consultoribus placet ita rubricam mutare « De processu documentali ».

— Nonnulli suggesserunt ut accuratius definiatur natura documenti de quo sermo fit in can. 351, vel ut melius caveatur de eius certitudine et authenticitate, vel ut admittatur probatio non solum ex documento sed etiam « alio legitimo modo ».

Consultores, omnibus perpensis, censent nihil esse addendum circa hanc rem.

— Nonnullis non bona videtur locutio « de defectu formae », quae habetur in n. 1, quia si nulla forma adhibita est, nullus requiritur processus.

Consultores decernunt ut dicatur « ex defectu legitimae formae ».

— Aliquis Consultor proponit ut in fine n. 1 dicatur: « ... datam non esse, *vel* ... ». Omnibus placet haec propositio.

— De sententia cuiusdam organi consultationis, usus processus documentalis admitti deberet etiam in causis ex defectu consensus, quando eadem certitudo per documenta habeatur.

Consultores censent hanc solutionem magnas difficultates praebere, quin dicatur de abusibus qui evenire possent.

Can. 352 (CIC 1991)

§ 1. Adversus hanc declarationem defensor vinculi, si prudenter existimaverit vel vitia de quibus in can. 351 vel dispensationis defectum non esse certa, appellare debet ad iudicem secundae instantiae, ad quem acta sunt transmittenda quique scripto monendus est agi de casu speciali.

§ 2. Integrum manet parti, quae se gravatam putet, ius appellandi.

— Suggestum est ut detur defensori vinculi obligatio semper appellandi contra declarationem nullitatis in prima instantia factam, aliis, e contra, petentibus ut dicatur defensorem vinculi *posse* appellare, loco « appellare *debet* ».

Consultoribus placet formula uti est.

— Aliquis Consultor proponit ut in fine § 1 dicatur « agi de processu documentali », loco « de casu speciali ». Propositio omnibus placet.

Can. 353 (CIC 1992)

Iudex alterius instantiae, cum interventu defensoris vinculi et auditis partibus, decernet eodem modo de quo in can. 351 utrum sententia sit confirmanda, an potius procedendum in causa sit ad ordinarium tramitem iuris; quo in casu eam remittit ad tribunal primae instantiae.

— Nonnullis melior videtur solutio prorogandi competentiam tribunalis appellationis ut ipsum videat causam, quando procedendum est ad ordinarium tramitem iuris.

Consultoribus autem propositio non placet, ut vitentur difficultates in casu ulterioris instantiae.

— Suggestum est ut addatur canon novus, qui sit can. 353 bis:

« Si quis certo tenebatur ad canonicam formam celebrationis matrimonii et ea omnia neglecta matrimonium alio modo attentavit, eius status liber, quin opus sit via processuali, via administrativa, sive interventu defensoris vinculi, ab Ordinario loci declarari potest ».

Haec norma Consultoribus non videtur necessaria, quia obvia est.

Adunatio diei 31 martii 1979

Art. 7.

Normae generales

Can. 354 (novus)

Causae ad matrimonii nullitatem declarandam nequeunt processu summario tractari, praeter casus de quibus in can. 351.

— De sententia quorundam organorum consultationis cann. 354 et 355 collocandi sunt potius initio Sectionis De causis matrimonialibus, ante can. 335.

Duo Consultores vero animadvertunt processum matrimonialem esse processum specialem et ideo antea poni debent normae quae deflectunt a typo; per hanc dispositionem systematicam enim clarior fit specialis natura causarum matrimonialium.

Tertius Consultor proponit ut cann. 335, 336, 337, 354 et 355 ponantur tamquam canones generales, sub rubrica « Sectio I: De causis matrimonialibus », scilicet ante Tit. I: De causis ad matrimonii nullitatem declarandam.

Sed alii Consultores praeferunt ut dispositio canonum maneat uti est.

— Consultoribus placet can. 354 ita redigere:

« Causae ad matrimonii nullitatem declarandam nequeunt processu contentioso orali tractari ».

— Nonnulla organa consultationis (quattuor tantum) petierunt ut omnes causae matrimoniales tractari possint processu contentioso orali, salvo iure partium petendi processum contentiosum ordinarium.

Propositio non placet Consultoribus, sive quia fere omnia organa consultationis, uti ex consultatione ipsa constat, praeferunt processum contentiosum ordinarium, sive quia processus contentiosus oralis nunc primo introducitur in usu nostrorum tribunalium et ideo periculosa videtur in re tanti momenti repentina tam gravis immutatio, sive tandem quia ratio assequendi celeriorem celebrationem processus non iam cogens videtur cum in novissima revisione simpliciores factae sunt normae de processu contentioso ordinario.

Can. 355 (novus)

In ceteris quae ad rationem procedendi attinent, applicandi sunt, nisi rei natura obstet, canones de iudiciis in genere et de iudicio contentioso in genere, servatis specialibus normis circa causas de statu personarum et causas ad bonum publicum spectantes.

— Dici debet « et de iudicio contentioso *ordinario* », loco « in genere ».

* * *

Consultoribus placet addere normam de monitione facienda partibus circa obligationes quas habet altera erga alteram partem et prolem, quod attinet ad sustentationem et educationem. Aliquis Consultor hanc formulam proponit, quae omnibus placet:

« In sententia partes moneantur de obligationibus moralibus vel etiam civilibus, quibus forte teneantur, altera erga alteram et erga prolem, ad sustentationem et educationem praestandam ».

Hic canon collocari debet sub art. 7, ante canonem 354.

TITULUS II

DE CAUSIS SEPARATIONIS CONIUGUM

Can. 356 (novus)

§ 1. Separatio personalis coniugum baptizatorum, nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum sit, decerni potest:

a) *Ordinarii decreto, vel*

b) *ecclesiastici iudicis sententia ad normam canonum qui sequuntur.*

§ 2. Ubi decisio ecclesiastica effectus civiles non sortitur, vel si sententia civilis praevidetur non contraria iuri divino, Ordinarius commorationis coniugum poterit, singulis in casibus, perpensis peculiaribus adiunctis, licentiam concedere adeundi forum civile.

§ 3. Si causa versetur etiam circa effectus mere civiles matrimonii, satagat iudex ut, servato praescripto § 2, causa inde ab initio ad forum civile deferatur.

— De sententia quorundam organorum consultationis Titulus de causis separationis posset supprimi, quia coniuges numquam deferunt

ad tribunal ecclesiasticum causas separationis, vel posset tota quaestio remitti ad ius particulare.

Consultores omnes, vero, tenent in lege generali deesse non posse hunc titulum, attenta competentia Ecclesiae circa causas separationis coniugum.

— Aliquis Consultor proponit ut in § 1, b, deleatur verbum « ecclesiastici », quod omnibus placet.

— Alter Consultor proponit ut deleantur verba « singulis in casibus », quae habentur in § 2. Suggestio omnibus placet.

— Aliqui Consultores proponunt ut dicatur « servatis cautelis de quibus in § 2 », loco « servato praescripto § 2 », ita ut non requiratur interventus Ordinarii commorationis coniugum.

Fit suffragatio an placeat haec propositio: placet 3, non placet 5.

Can. 357 (novus)

Nisi qua pars vel promotor iustitiae processum contentiosum ordinarium petant, processus contentiosus summarius adhibeatur.

— Dici debet « ... processus contentiosus *oralis* ».

— Nonnulli suggesserunt ut iudex, non obstantibus petitionibus partium, quae processum contentiosum ordinarium praeferant, decernere possit ut adhibeatur processus contentiosus oralis.

Propositio non placet Consultoribus.

— Aliquis Consultor proponit ut norma can. 347, de examine secundi gradus per decretum facto, applicetur etiam in causis separationis coniugum, quando in prima instantia adhibitus sit processus contentiosus ordinarius. Cum omnes alii Consultores concordes sint, additur § 2 ita redacta:

« Si processus contentiosus ordinarius adhibitus sit et appellatio proponatur, tribunal secundi gradus ad normam can. 347, § 2 procedat, servatis servandis ».

Can. 358 (novus)

Quod attinet ad tribunalis competentiam serventur praescripta can. 337.

Can. 359 (novus)

Iudex, antequam causam acceptet et quotiescumque spem boni

exitus perspiciat, pastoralia media adhibeat, ut coniuges concilientur et ad vitae communionem restaurandam inducantur.

— De his canonibus non factae sunt animadversiones.

Can. 360 (novus)

Causae de coniugum separatione ad publicum quoque bonum spectant; ideoque iis interesse semper debet promotor iustitiae ad normam can. 32.

— De sententia quorundam organorum consultationis, praesentia promotoris iustitiae non videtur necessaria.

Consultores autem non idem sentiunt, cum ratio boni publici suum habeat momentum.

— Quibusdam magis apta videtur praesentia defensoris vinculi. Sed Consultores respondent in istis causis nullum dubium moveri de vinculo matrimoniali et ideo praesentiam vinculi defensoris non esse ad rem.

Can. 361 (novus)

In ceteris quae ad rationem procedendi attinent, applicandi sunt, nisi rei natura obstet, canones de iudiciis in genere et de iudicio contentioso in genere, servatis specialibus normis circa causas de statu personarum et causas ad bonum publicum spectantes.

— Omnibus Consultoribus placet hunc canonem delere, quia per can. 357 sufficienter innuitur quinam sint canones applicandi in causis separationis quod attinet ad rationem procedendi.

SESSIO VII

(diebus 14-19 maii 1979 habita)

Adunatio diei 14 maii 1979

Can. 362

Soli coniuges, vel alteruter altero invito, ius habent petendi gratiam dispensationis super matrimonio rato et non consummato.

— Nonnullae animadversiones factae sunt circa rubricam Tituli III: est qui censeat meliorem esse rubricam « de processu dispensa-